



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Virtute Religionis, Et Ei Annexis; Continens quatuor Tractatus  
Theologiae Moralis praecipuos. Primus, in ordine decimusquartus, de  
Iuramento, & Adiuratione. Secundus, de Voto. Tertius, & charior Authori,  
de statu Religioso. Quartus, de vitiis oppositis Religioni

**Castro Palao, Fernando de  
Lugduni, 1669**

Expenditur libertas à vinculo Episcopalis dignitatis requisita ad  
professionem. §. 4.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76572)

existimo distinguendum; si tentatis remediis per annum morbus non curatur, poterit expelli tum ob culpam deceptionis, tum ob praecavendum aliorum damnum, & contagij periculum. Verum in Societate Iesu absque vilo serupulo poterit expelli qui se decipiendo vora Scholarium emitteret; quia cum sint vora conditionalia, & non solemnia minorem causam ad sui dissolutionem exposculant quam ea quae ad expellendos alios religiofos profesos exposculatur, & notavit Sanch. lib. 5. c. 4. n. 57.

§. III.

Declaratur libertas a servitute requisita.

S V M M A R I V M.

- 1 Qualiter servus proficere possit, & a domino repeti.
- 2 Professio facta absque consensu domini an valeat? Negant. aliqui, sed verius est valere.
- 3 In Societate Iesu nulla est professio, sui incorporatio.

**Q**uinta conditio ad professionem est, ne servitute ligatus sis, fieret enim grauius iniuria domino, si servus occasione religionis absque licentia domini se subtraheret ab obsequio illius, cui ipse, & sua tradita sunt, colliguntur ex cap. si servum 1. & 2. 17. q. 4. Verum si hac malitia posita religionis habitum assumeret, & in eo assumptio per triennium computandum vel a die quo dominus id scire potuit, vel ut aliis testibus, a die assumpti habitus perseveraverit absque domini revocatione, eo ipso ad religionem admitti poterit; quia iuris dispositione censetur a domino dimissus esse, si quis incognitus 17. q. 2. At si intra illud triennium dominus servum suum reperierit, etiam si professionem fecisset, debet reddi fide tamen accepta de impunitone, ut habetur in d. c. si quis incognitus. Quod si dominus noluerit profectum servum habere, sed ut precium illius sibi reddatur, probabile satis est obligatam esse religionem eius voluntati acquiescere, si culpabiliter hunc servum ad professionem admiserit. Si autem nullam culpam commiserit, non apparet ratio, ob quam dominus teneatur aestimationem servi reddere, sufficienter enim videtur satisfecere servum reddendo. Et in his communiter Doctores conveniunt apud Sylvest. verbo relig. 2. q. 3. Greg. Lopez leg. 6. tit. 7. part. 1. Sanch. lib. 5. sum. c. 4. n. 42. Suar. tom. 3. de Relig. lib. 6. c. 6. per totum. Lessium lib. 2. c. 41. dub. 3. n. 31.

Difficultas autem est, an illa professio ante triennium facta absque consensu domini valida sit, teneaturque servus in religione perseverare domino non repetente, vel sui iuris effectum ad illum redire, nulloque modo matrimonium contrahere? Negant Paludan. 4. dist. 38. q. 4. art. 2. nu. 30. Azor. 1. p. lib. 12. c. 1. q. 3. Sanchez lib. 5. sum. cap. 4. n. 49. Lessius d. c. 41. dub. 3. n. 31. Mouentur, quia servus quoad actiones civiles traditus est domino. Non igitur tradere se potest religioni.

2. Verius tamen est validam esse professionem: Sic docent Sylvest. verbo religio 2. q. 3. Greg. Lopez, leg. 6. tit. 7. part. 1. Suarez tom. 3. de Relig. lib. 6. c. 6. n. 3. & plures relati a Sanch. lib. 5. sum. c. 4. n. 49. Ratio est, quia neque apparet irrita ex iure naturali, neque ex postitio. Non ex iure naturali: Nam omnia vora servorum valida sunt, neque dominus ea valet irritare absolute, sed solum valet impedire vsum sibi damnosum & prejudicabile. Ergo stare optime potest, quod professio valida sit, & quod dominus illius vsum quoad obedientiam impedire possit: Neque ob inde fit non vovare obedientiam, vovet inquam in animi preparatione. Ius autem postitum nullum est hanc professionem irritans, imo ex c. si quis incognitus non leuiter colligitur validam iudicari, si quidem triennio transacto admittitur ad professionem servus reddi non debet domino, nisi ob distantiam praesumat sufficienter non posse a domino reperiri. Ea tamen praesumptio facta & domino reddetur, quamvis professus sit. Supponit ergo textus, professionem validam fieri posse domino non consentiente, & non obstante eius valore obedientiae religiosae vsum impedire posse.

3. Illud tamen est omnino certum in religione Societatis Iesu nullam esse professionem, seu incorporationem per vora biennij a seruo factam quia est vnum ex quinque impedimentis essentialibus. Ex am. gener. c. 2. & 1. p. const. cap. 3.

§. IV.

Expenditur libertas a matrimonij vinculo requisita ad professionem.

S V M M A R I V M.

- 1 Statuitur casus difficultatis. Professio sine licentia coniugis nulla est, obligat profitemem non petere debitum.

- 3 Potest hic religiosem deserere absque licentia coniugis, sed non absque auctoritate iudicis.
- 4 Extenditur doctrina, quamuis coniux in saeculo manens professioni facta consentiat.
- 5 Coniux in saeculo relicta non potest ad religionem migrare.
- 6 Licentia per meum exortoria nulla est.
- 7 Si religiosem ingrediarius ex licentia coniugis non servatis conditionibus a iure praescriptis, validus est ingressus.
- 8 An revocari possit? Sub distinctione respondetur.
- 9 Revocatus petere debitum non potest.
- 10 Si servatis conditionibus a iure praescriptis religionem ingrediarius, valida, & licita est professio, & explicantur conditiones.
- 11 In Societate Iesu nec professio, nec incorporatio tenet coniugis, nisi servatis conditionibus praescriptis a iure.

**S**exta conditio ad professionem requisita est, ne profectus matrimonio consummato ligatus sit. Dixi consummato. Nam ante consummationem licitus est ad religionem transitus, si aliud impedimentum non obstat, post illius consummationem similiter licitus est, si detur occasio perpetui diuortij ob fornicationem, haerem, vel sententiam. Sic tradunt omnes. Late discutendum tract. de matr. Quare disputatio praefens solum procedit, quando post matrimonium consummatum, nullaque data occasione perpetui diuortij ad religionem transit, & in ea profectus, quod tripliciter contingere potest: Primum; si nulla alterius coniugis concessa licentia. Secundum: Ea concessa, at non servatis conditionibus a iure praescriptis; Tertio, iis omnibus servatis.

1. Circa primum calum siue ex malitia, siue ex ignorantia processerit, nulla est professio facta ob praedictum coniugis, cui est ius quatuor sim: habetur expressè c. placet, & c. quidam de conuers. coniugum. Eaque de causa coniux in saeculo manens poterit te ad suum consortium revocare, tunc debet obedire, revocatus tamen debitum petere non potest, esto reuocatus reddere; quia illa professio quoad obligationem non petendi acceptata fuit ab Ecclesia, & vix potest non credit in praedictum coniugis non consentientis, constat ex dicto c. placet, & c. quidam. Quod intelligendum venit, nisi expressam voluntatem haberes non aliter te obligandi ad castitatem, quam dependenter ab statu religioso, quia hac expressa voluntate postea nulla potest esse obligatio; cum nullus videri sit religiosus status assumptus: sic Lessius lib. 2. c. 41. dub. 3. n. 25. Thom. Sanch. lib. 7. de matr. disp. 34. n. 3. Ioan. Gutierrez. lib. 9. de matr. c. 11. n. 4. Suar. 1. de relig. lib. 6. c. 7. n. 6. At secuta hac expressa voluntate censetur Pontifex traditionem illam sub hac obligatione tantum acceptare, quia postea mortuo coniuge non poterit licite aliud matrimonium inire, bene tamen valeat, quia non est votum castitatis solemnè, sed simplex, & tradit Gloss. in c. Agatha, verbo debetur, 27. q. 2. Sanch. pluribus relatus, disp. 34. n. 5. Gutierrez. c. 95. n. 41. Basilis. c. 11. n. 5. Non tamen est obligatus ad religionem migrare, quia in illa professione inuoluta non religionem promissit, sed religioni te tradidisti, & ad hanc traditio nulla fuerit, ex nullo capite: haec obligatio oriri potest, idcirco in dicto c. quidam, dicitur te non teneri ad religionem redire, & in c. placet allegatur id consilium, & congruetius esse, & docet Sanch. d. disp. 34. n. 12. Gutierrez. n. 24. Basilis. n. 7.

2. Difficultas autem aliquis est, an non petente coniuge possis tu propria auctoritate religionem delectare? Affirmat Tho. Sanch. disp. 34. n. 15. relatus, glossa, Innocent. Archidiacon. & Bellamera. Mouentur, quia solius professionis virtute attingi poterat in religione perseverare, sed professio non tenet, ut dictum est: ergo cessat causa obligationis. Item repugnat coniuge si non exires, esse alieni raptor. Secundum probat etiam accedens de conuers. coniugum. vbi vir professus de licentia uxoris metu extorta exit a religione, neque a Pontifice ob exitum reprehenditur: idem habetur ex cap. 2. n. 11. p. 6. vbi Alexander. II. inquit non violentia, sed ex pari voluntate, & consensu hoc debet fieri, & in cap. vna sola, 33. quae 5. ait August. Nam & vouenda talia non sunt a coniugis, nisi ex consensu, & voluntate communi, & si praeposuerit factum fuerit, magis est corrigenda temeritas, quam persoluenda promissio.

Sed dicendum est, te posse religionem deserere in supradicto casu absque petitione coniugis, non tamen absque iudicis ordinarij auctoritate. Priorem partem huius conclusionis persuadent mihi nuper relata pro sententia Sanch. Neque el aduersatur Text. in c. placet, De conuers. coniugum, ibi. Redite vero ad saeculum in eius potestate non erat, sed in potestate mariti; quia intelligi debet de redditu ad saeculum coniugali copula intercedente, vt ex contextu constat, quod in sola mariti potestate erat; siquidem ipsa a debiti petitione ob votum castitatis emissum impedita erat. Non tamen ibi negatur posse conclusionis partem probat Trident. sess. 25. c. 19. de regularibus, vbi cauetur neminem posse habitum religionis dimittere, nisi causa

DE  
ASTRA  
PALATA  
TOM. III

causa nullitatis coram ordinario examinata; aliis tanquam apostata & beat puniri. Et merito sic statutum est, ne religiosi fuissent occasione vagandi; cum enim publice Ecclesia confiteri de professione, publice etiam debet constare de eius nullitate, ut dissoluta censetur; & ita sustinet Basilius Legionem. lib. 11. c. 11. n. 8. & Barbosa in supradicto decreto. Neque aduersus hanc partem vrgent relata pro Sanch. Nam esse professus contra coniugis voluntatem teneris te ei restituere, id tamen praestare debes iuris ordine seruat, scilicet auctoritate iudicis, qui causa cognita nullitatem professionis declarat. Ex Text. in c. accedens, nihil nobis aduersum infertur. Facemur virum illum ad saeculum rediisse, non constat quomodo redierit, an scilicet propria auctoritate habitum dimiserit, vel praeratus illum expulerit causa cognita, vel ob defectus aliquos. Neque nobis contradicit Text. in c. 2. notificasti, 33. q. 5. ibi enim solum dicitur non debere virum ab vxore recedere, & monasterium ingredi extorta licentia ab vxore, sed pari consensu, & voluntate, quod citius colligitur ex lectione apud Ioanem, & quae in Panormi. legitur; ibi neque vit in monasterium recipiendus est nisi vxor illius fecerit monasterium elegerit, aut Professio continentiam habitum cum festinatione mutauerit. De desertione habitus religiosi suscepi nihil speciale notatur a Pontifice; ex relatione tamen partis ad petitionem vxoris, & consequenter causa cognita religionem deseruisse, ibi. Postea vero cum sanus factus esses, tua vxoris reclamacionibus, ciuilationibus, & plandibus tuaeque familiae disperisonibus deuitis vt potes penitentiam domum remeasse, & post multos dies quorundam sapientum consilio ad iam dicta mulieris cubile rediisse. Minus obstat text. in c. vna sola, ibi enim non exprimitur qualiter corrigenda sit temeritas illius qui inconsulto coniuge ad religionem transit. Quare datur locus afferendi corrigendam esse iudicis auctoritate.

4. Extendenda est supradicta doctrina, esto coniux in saeculo relictus tuae professioni inuoluntate facte consentium praestit. Nam ex supradicto consensu non tollitur professio nullitas; ac proinde liber es ad habitum defendendum, Sanch. lib. 7. de matr. disp. 34. n. 16. Basili. Legionem. lib. 9. c. 11. nu. 11. Idem est etiam moriatur coniux, quia morte ipsius non firmatur professio, sed nouo consensu indiget, nouaque prelati acceptatione. Verum est tamen praedictum consensum, & acceptationem praesumi, si cognita morte in religione maneat professorum, quae actibus te ingeras, iuxta Text. in c. consilium, de conuers. coniugat. sic Sanch. a. n. 18. Basili. n. 12.

5. Aduertendum vero est coniugem in saeculo relictum non posse te inuito ad religionem migrare, quia tua inuoluntate professio tua transeundi ad religionem coniugi non concedit, cum non sit causa perpetui diuortij, sic aliis relatis Sanch. dicta disp. 34. n. 23. & Basili. c. 11. n. 13. Quod sit religioem profertente pariter coniux religionem profertente; distinguendum est cum supradictis doctoribus, an factum id fuerit scienter, vel ignoranter; si enim ignoranter factum est, procedunt suspectus dicta, si tamen scienter, quia cuiuslibet fuit alterius professio cognita, eo ipso videmini tacite ad inuicem consensisse.

6. Quae dicta sunt de ingressu absque licentia coniugis procedunt casu, quo licentia per grauem metum extorta sit, quia sic extorta nulla est & colligitur ex c. accedens, de conuers. coniugat. c. conuincisti, 33. q. 5. Et idem est de licentia dolo grau extorta, quia error tollit consensum, colligiturque ex c. vna sola, de conuers. coniug. & tradunt aliis relatis Sanch. lib. 7. nota disp. 33. Gutier. de matr. c. 95. n. 24. c. 23. Basili. lib. 9. c. 11. n. 15. Quod si coniux nec contradixit tuo ingressu, nec licentia concessit, sed illius obsequio dissimulauit, placet Suar. l. 3. de relig. lib. 6. c. 7. n. 10. & censendum esse ex licentia coniugis profertente. Sed contrarium verius est, & communis sententia probatum teste Sanch. dicta disp. 35. n. 13. Gutier. c. 95. de matr. n. 26. Nam licet in aliquibus casibus dissimulatio reputari possit tacita licentia, non tamen in his, quae dissimulanti prauidant.

7. Circa secundum casum, quando scilicet ingressus es religionem ex licentia coniugis, ipsa vero in saeculo manens conditiones a iure praescriptas non seruat, dicendum est professionem validam esse, ac illicitam fieri. Sic ferè omnes doctores paucis exceptis apud Sanchez, lib. 7. de matr. disp. 33. n. 4. Gutier. de matr. c. 95. n. 23. Basili. Legionem. lib. 9. c. 12. n. 4. Suar. l. 3. de relig. lib. 6. c. 7. n. 9. colligiturque manifestè ex c. Agathosa, 27. q. 2. c. qui vxorem, 33. q. 5. c. cum sis, cum vxoratus, c. significat, de conuers. coniug. Iuuenis inquam tamen de incontinentia suspectus non sit, debet religioem profertente, quia sufficit ratione araris suspectum esse, Sanch. disp. 32. n. 10. aut c. 95. n. 9. Neque satis facit, si religioem ingrediatur, colligitur ex c. Agathosa, 27. q. 2. & citius ex c. ex parte 9. de conuers. coniugat. Neque obstat text. in c. vxoratus, de conuers. coniugat. ibi vxoratus sine licentia vxoris inter eos nullatenus recipiatur, quae integrae opinionis existat. Quia loquitur textus de vxorato monasterium ingrediente sine licentia coniugis, non autem de eo, qui ingrediatur sine coniugis consensu.

8. Dubium tamè est, an a coniuge reuocari possis; Dicendum est, si coniux concedens licentiam votum castitatis emisit, tamen si nolit, cum iuuenis sit, vel de incontinentia suspectus, nullatenus poteris ab eo reuocari. Videtur expresse decidit c. 1. de conuers. coniugat. a contrario sensu, inquit enim Alexander, 3. quod nisi vxor ad religionem transierit, vel perpetuam ca-

stiratem seruare promiserit, vir potest, & debet de monasterio reuocari. Ergo sola promissione castitatis perpetuae facta ab vxore denegaretur viro reuocatio. Quod si dicas loqui textum de vxore sene, & incontinentia non suspecta, quae voto castitatis emissio sufficienter satisfacit, obstat esse dictum absque vilo fundamento, & contra verba textus expostulantis vel religionis ingressum, vel castitatis votum, cum tamen in sene, & incontinentia non suspecta ingressus religionis requisitus non sit. Neque & iam habet fundamentum, si respondeas procedere textum in vxore ignorante ius. Tum quia id ex textu non colligitur. Tum quia haec ignorantia numquam praesumitur. Ratio autem quare reuocari non possis a coniuge licentia concedente, & votum castitatis emittente est manifesta, quia ob professionem ex licentia factam impeditur es a debiti petitione, & coniux ob votum castitatis ius petendi amisit. Quod si adhuc periculum incontinentiae subsit, compelli debet coniux non ad religionis ingressum, sed ad ea clausuram, quae hoc periculum, & suspicionem incontinentiae tollat, Suar. d. lib. 6. c. 7. n. 14. Basili. de matr. lib. 9. c. 12. n. 5. Sanch. disp. 33. n. 27. Quod aduersus Sanch. existimo procedere, non solum quando concedens licentiam, & votum emisit, & ignarus fuit iuris dispositionis, sed etiam si conscius esset, hoc enim semper praesumitur. Nam ex illa licentia solum conuincitur peccare coniugem sic licentiam concedentem, nec iuris dispositionem seruare, at non conuincitur ad religionem compelli debere; quia ad religionem vitpote statum supernaturalem, & difficilem nemo contra propriam voluntatem obligari potest, Suar. & Basili. supra.

Verum si licentia concessa a coniuge nec ingrediente religionem, nec votum emittente, professionem facias, potes, & debes ad consortium illius incontinentiae periculum patientis reuocari, quia sic deciditur in c. praeterea, l. de conuers. coniugat. ibi dicimus quod nisi vxor ad religionem transierit, aut perpetuo castitatem seruare promiserit, vir potest, & debet de monasterio reuocari. Neque obstat coniugem concedentem licentiam iuri reuocandi professum cessisse; hoc enim solum probat non posse ex iure sibi competente agere ad reuocationem, non probat, quominus ex iure ab Ecclesia concessa in fauorem matrimonij, & remotionem incontinentiae agere possit officio Episcopi implorato. Quod verum habet, quamuis coniux in saeculo manens conscius fuerit iuris dispositionis, quia textus in dicto c. praeterea, nullam differentiam fecit de ignorante, vel sciente iuris dispositionem, imo satis indicat feminam admonitam fuisse suae obligationis. Neque credendum est Pontificem locutum fuisse tantum de coniuge ignorante, cum haec ignorantia iuris clari, & manifesti raro, vel nunquam praesumatur. Deinde ex concessione licentiae non videtur coniux obligatus votum emittente, aut religionem intrare, sed tu cui est licentia concessa obligaris non profertente coniuge votum non emittente, aut religionem non profertente. Quare haec obligatio non tam ex concessione licentiae, quam ex eo quod tua professio rectè fiat, oritur, ergo posita professione indebitè facta cessat obligatio coniugis, quae solum erat vt rectè professio emitteretur; & ita tener latius probans Suar. tom. 3. de relig. lib. 6. cap. 7. a num. 3. Basili. Legio. lib. 9. de matr. cap. 12. num. 5.

9. Reuocatus vero ad coniugem post professionem factam debitum nullo modo petere potes, tamen si tenearis reddere, quia verè professus es, & voto castitatis ligaris; mortua vero coniuge obligatus es ad eam religionem, in qua professus es, reddere; quia cessauit impedimentum, ob cuius causam executio professionis suspensa fuit, Basili. dicto c. 12. nu. 4. Suar. lib. 6. c. 7. num. 15. c. 16.

10. Circa tertium casum, quando scilicet ingrediens religionem seruatis conditionibus a iure praescriptis, nemini est dubium professionem validam esse, & licitam; quia illis positis cessant omnia, quae eam inuoluntate, & illicitam reddere poterant. Haec autem conditiones sunt, vt ex licentia coniugis professio fiat, & insuper si concedens licentiam iuuenis sit, religionem ingrediatur, si sene, & incontinentiae cesset periculum, votum castitatis emittat. Si autem periculum incontinentiae adsit, religionem ingrediatur, colligitur ex c. Agathosa, 27. q. 2. c. qui vxorem, 33. q. 5. c. cum sis, cum vxoratus, c. significat, de conuers. coniug. Iuuenis inquam tamen de incontinentia suspectus non sit, debet religioem profertente, quia sufficit ratione araris suspectum esse, Sanch. disp. 32. n. 10. aut c. 95. n. 9. Neque satis facit, si religioem ingrediatur, vt ibi comoretur, quia textus supradicti clare indicant ingressum per professionem requiri, vt pluribus firmat Sanch. lib. 7. disp. 32. nu. 4. Gutier. de matr. c. 95. n. 5. Basili. lib. 9. c. 12. n. 3. Credo tamen satisfacere huic obligationi, si religioem equitum S. Ioannis profertente, vt docuit Basili. Legionem. lib. 9. de matr. c. 12. n. 3. quia est vera, & propria religio. Neque obstat hos equites non videri remotos a saecularium hominum conuersatione, quod videtur necessario requisitum iuxta Textum in c. vxoratus de conuers. coniugat. cuius causa motus est Sanch. disp. 32. n. 4. in fine, Gutier. c. 95. n. 5. hinc, ad afferendum professionem huius religionis huic obligationi non satisfacere. Non inquam obstat, quia

quia verè sunt à saecularium hominum conuersatione remoti, cum solum ex licentia sui praelati in ciuitatibus commorentur, & extra consortium, & cohabitationem mulierum, dispositi que sint, vt remoueantur, quando superioribus placuerit. Senex item, vt non obligetur ad professionem, sed voto continentiae emissio in saeculo possit remanere, carere debet periculo incontinentiae, alias obligatur, sicut iuuenis religionem profiteri, vt manifestè probat. Text. in c. cum is de conuers. coniugat. & colligitur ex c. vxoratus, c. ad Apostolicam, c. significauit, eodem tit. Votum autem, quod emittit debet, est perpetuae continentiae, simplex tamen non solemne, quia nullibi à iure solemnizatur, ac proinde ex se matrimonium contrahendum mortuo coniuge non dirimit, tamen impedit, Sanch. lib. 7. de matr. disp. 32. à n. 4. & 8. Basil. Legion. lib. 9. c. 12. n. 3. Guier. de matr. c. 95. n. 7. Quod si tempore nouitatus religionem deserat, aut ab ea expellatur, cessat votum manentis in saeculo; quippe sub conditione tunc professionis emissum est. Quis autem debeat dici senex, & sterilis ratione aetatis, vt merito non timeatur incontinentiae periculum late disputat Sanch. lib. 7. de matr. disp. 32. à n. 15. & optime resolut communitè in viris esse aetatem sexagenariam, in foeminis quinquagenariam, consentit Guier. de matr. 95. num. 2. & 3. Praeter has conditiones alij exposulant licentiam Episcopi, sed immerito; neque enim ad valorem professionis, neque vt licitè fiat, neque ad impediendum reuocationem à manente in saeculo id necessarium est, vt optimè cum alijs pluribus firmat. Sanch. lib. 7. de matr. disp. 22. n. 2. Neque obitat Text. in c. si vir, & vxor, 27. q. 2. ibi si vir, & vxor diuertere pro sola religiosa inter se consenserit, vitas nullatenus siue Episcopi conscientia fiat: cui consonat lex regia 2. tit. 10. part. 4. Nam haec non de obligatione praecipit, sed decentiae, & aequitatis intelligi debent, praecipue cum conseruandae sajs praecipuum sit hanc licentiam necessariam non esse.

11. Hucusque de professione emittenda à coniugato in alijs religionibus à Societate distinctis locuti sumus. At in Societate Iesu credo nullo modo professionem, nec incorporationem validam esse, nisi cum licentia coniugis adfuit alia iuris requisita, quibus omnino impediatur reuocatio: sic tanquam probabilissimum defendit Suar. t. 4. de relig. tract. 10. lib. 3. c. 6. n. 9. Ratio est efficax: nam vnum ex impedimentis essentialibus à Sede Apostolica approbatis, quae societas habet, est matrimonium consummatum. Exam. gener. c. 2. n. 4. Sed hoc impedimentum non cessat, nisi obseruentur ea, quae à iure sunt requisita, vt coniugatus religionem ingredi possit, vt expressè dicitur, dicto c. 2. n. 6. & c. 3. lit. C. & i. p. constitut. c. 4. lit. F. Quod intelligi debet non solum de requisitis à iure, vt coniugatus validè religionem ingredi possit, sed etiam vt possit licitè alius vt quid Societas hoc impedimentum tanquam speciale constituebat? Ergo illis integrè non seruatis impedimentum non cessat.

§. V.

Explicatur libertas à vinculo Episcopalis dignitatis requisita ad professionem.

S V M M A R I V M.

1. Episcopus religionem ingrediens absque Summi Pontificis licentia grauius peccat.
2. Verius est eius professionem valere.
3. Qui nomine, Episcopi intelligantur.
4. Non extenditur obligatio Episcoporum ad inferiores praelatos, esse habeant iurisdictionem quasi Episcopalem.

1. Septima conditio requisita ad professionem est libertas à vinculo Episcopalis dignitatis, alteriue beneficii. Circa quam conditionem regula certissima est, Episcopum absque licentia Summi Pontificis profitemem in religione grauius peccare; quia ob bonum Ecclesiae, cui Episcopi sunt addicti, illis est interdictum, c. licet de Regularib. & cap. nisi cum pridem de renunciat. & tradunt omnes cum D. Tho. 2. 2. q. 185. a. 4. & constat ex iis, quae diximus, disp. praeced. p. 7. §. 1.

2. Dubium tamen est, an sic facta professio valida sit? Videtur esse non posse; quia professio vinculum Episcopale non dissoluit; illo autem non dissoluto non videtur posse consistere. Non enim apparet, qua ratione religionis obsequio, & regulis praelati voluntati se alligare possit, praecipue cum assumens religionem eligat statum minus perfectum: & ita docet Valent. 2. 2. disp. 10. q. 3. punct. 4. col. 1. vcl. tertius casus.

Ceterum verius cenfeo cum Suar. t. 3. de relig. lib. 6. c. 8. n. 7. professionem validam esse. Ratio est; quia ex iure positiuo irrita non inuenitur, vt cuiuslibet expendenti. Text. in cap. nisi cum pridem de renunciat. c. inter corporalia de translat. Episc. c. licet de Regularib. qui expressius de hac materia loquuntur, constare potest. Ex illis enim solum in ferunt neminem posse renunciat Episcopatu absque auctoritate Pontificis, & cau-

sis à iure praescriptis, non tamen professionem esse nullam. Neque obstat, si dicas impedita, & annullata renunciatione impediti, & annullari transitum ad religionem, qui cum retentione Episcopatus, & obligatione ibi assistenti, & illius munera exequendi non videtur posse consistere. Non inquam obstat; quia religiosi status efficacia saluari optime potest, ex eo quod affumens religioni tradat pauperatam, castitatem, & obedientiam obseruaturus quantum possit; tamen ex aliqua occasione, & obligatione antecedenti impediatur, ab eius plena executione, vt videre licet cum ex licentia coniugis non se conuertentis coniugatus emittit professionem, quae valida est, cui valori non obstat, quod reuocari debeat ad coniugale commercium, & in religioso proficente, cum parentis graui necessitate premunur quibus succurrere debet. Et clarius constat in religioso assumpto ad Episcopatum, qui retento statu religioso assumpto ad Episcopatum, qui retento statu religioso, & illius natia obligatione muneris Episcopalis obligationem subiit. Et ex hac ratione constat iure naturali non annullari professionem ab Episcopo factam.

3. Quia autem nomine Episcopi intelligantur? Constat intelligi electos, & confirmatos, obsequioque alicuius Ecclesiae addicti; tamen confirmati non sint, quia sic electi, & confirmati, & propriae Ecclesiae addicti nullatenus possunt absque auctoritate Pontificis renunciat Episcopatu: sicuti deciditur in c. inter corporalia de translat. Episcopi. iuncto c. nisi cum pridem de renunciat. Dixi Ecclesiae propriae addicti, nam si nulli addicti sunt, sed solum in Episcopo consecrati, poterunt religionem nulla requisita licentia profiteri, sicuti possent, si Episcopatu renunciatissent, quia cessat obligatio Ecclesiae, quod est impedimentum assumendi statum religiosum; sic tanquam certum docet Suar. t. 3. de relig. lib. 6. c. 8. n. 4. Sed an idem dicendum sit in Episcopis titularibus, & religiosis difficultate non caret. Negat Suar. d. c. 8. n. 5. eo quod Ecclesiae determinatae deputati sint, tamen si per accidens ab illius obsequio impediatur vel ob infidelium occupationem, vel ob tyrannorum persecutionem. At distinguendum existimo de impedimento per se perpetuo, vel de eo quod remouendum speratur, si enim impediatur Episcopus ab obsequio Ecclesiae cui est addictus ob impedimentum, quod aliquando speratur remouendum, nullatenus potest absque Pontificis licentia religionem profiteri, quia illi professioni munus Episcopale, & obsequium debium Ecclesiae possibiliter contingens obstat potest, & eaque de causa in c. post translationem, de renunciat. ob persecutionis rabiem Episcopus transiens ad religionem indiget Pontificia approbatione. At si impedimentum nullatenus remouendum speratur, cuiusque conditionis sit, vt omne munus, & exercitium Pontificis dignitatis in ea dicece impediatur, quale regulariter contingit in Episcopis titularibus pro Ecclesiis ab infidelibus occupatis, non videtur probabiliter careere eos Episcopos ad religionem migrare posse, sicuti possent nulli speciali Ecclesiae addicti: nam quoad effectum, & obsequium praestandum idem est; ideoque hic Episcopatus titularis cum Episcopatu fructifero, & cum alijs beneficijs, & pensionibus comparatur.

4. Haec autem obligatio Episcoporum petendi, & obediendi licentiam à Summo Pontifice non est extendenda ad praelatos inferiores, tamen si iurisdictionem quam Episcopalem habent, Pontificique sint subiecti, quales sunt aliqui Abbates, & Priores, quia relati text. in c. licet de regularib. & cap. nisi cum pridem, cap. post translationem de renunciat. c. inter corporalia, de translat. Episcopi. de Episcopis specialiter meminerunt ob altissimum eorum statum. Non igitur debet hae obligatio ad inferiores praelatos extendi. Ex quadam tamen decentia, & aequitate moneri debet Pontifex, vel saltem Episcopus, cui illi praelati alius essent subiecti, docet Suar. t. 3. de relig. lib. 6. c. 8. in fine, n. 13. & 14. cum Panom. in d. c. licet de regularib.

§. VI.

De necessitate parentum impediendo professionem.

S V M M A R I V M.

1. Non impedit professionem valorem.
2. Liber est ab obligatione succurrendi parentibus, si monasterium eam obligationem subire vult.
3. Qualiter monasterium obligatum sit hanc obligationem subire, si tempore tunc professionis parentes pariter uocentur.
4. In necessitate extrema tenetur filius parenti succurre in modo, quo possit.
5. In necessitate graui affirmans aliqui tenere, etiam si opus sit habuim deserere.
6. Alij negant ad deserendam religionem esse obligatum.
7. Tertium sententia media via procedit distinguens de necessitate tempore professionis, vel post modum contingente.

DE  
ASTR  
PALA  
TOM.  
II II